

1417

P O L E M I C I.

1418

In quo verus intellectus omnium scripturarum et prophetarum inuenitur saltem in illis passibus, in quibus fides catholica fundatur, de quo semper deo gratias. Similia his leguntur etiam in Exemplis impressis, de quibus loco supracit. mentionem iniecimus.

CCCLXIX.

674 Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 19. 4. nitide scriptus, et variis ductibus florulentis sic fatis ornatus nomen Autoris ita praefert: *De la sua Sacra Maieſta fidelliſſimo ſeruitor Marco Lombardo ia Ebreo fatto Chriſtiano con la ſua Conſorte et cinque figlioli ad honore domini noſtri et ſaluatori Jeſu Chriſti &c.* Linguae minus peritum vides Νεοφυτον, quod et ſequentia confirmant; offert enim *Maximiliano*

II. *Demonſtratione de gli paſſi ſopra la ſcrittura in deſenſione de la fede di Chriſto vero Meſſia, Contra de Hebraei.* Quod quid ſit, aegre diſpicias, niſi dicam, XII. eſſe Symboli Apoſtolicum *Articulos*, ſingulis vulgo Apoſtolicis tributos, quorum quivis locis e Lege Veteri et Prophetis depromtis illuſtretur et confirmetur. Ita initium: *De La Trinita. Geneſis al Primo. Petrus. Credo in deum patrem omnipotentem creatorem caeli et terra. Articulo Primo. Nel principio, cioe, nel figliolo, creo idio il cielo et la terra: Et il ſpirito de idio era portato ſopra le aque &c.* Ad calcem: *Il Fine. M. D. LXVIII.* Sed adhaeret: *Inuitto fatto da Chriſto in croce al giudeo accio ritornari a la fede delle chriſtiani.* Strophiſ rhythmicis, quarum principium:

*A bracia aperte iuſto (io ſto) ſemper et aſpetto
O giudeo oſtinatto che à tornare
Ti moui à me che ſon ſicur ricetta &c.*

Ita recta ſcribendi ratio paſſim violatur, neque *Marcus* hic νεοφυτον ad cenſeri meretur *Paulis Ritio* et *Weidnero*, *Ant. Margaritae* &c.

CCCLXX.

896 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 140. 4. ſequentia *Pauli Ricii*, de quo plura inferius, Scripta complectitur: I. *Talmudica* (ita in edit. Auguſtana 1519. 4. vocantur) *nouiſſi-*

me in latinum verſa periocunda Commentariola. Sunt vero praeter excerptam R. *Moyſis Maimonidis* in משנה Mishnam feu Legem Secundam Judaeorum Praefationem Epitome Tractatus ברכות five *Berachoth de Benedictionibus*, qui eſt primus Ordinis I. זרעים five *Zeraim*, id eſt, *de Seminibus.* In Editione memorata dicatur haec Epitome una cum alia, de qua N. III. dicemus, *Leoni X. Pont. Rom.* ſequiturque *Praefatio* ad Lectores,

O 2

at

at haec ipsa *Praefatio* in *Codice* nostro versa est ad *Maximilianum* I. Imp. qui, ut erat omnium disciplinarum curiosus, *Talmudis* notitiam sibi a *Ricio* Exhebraeo Medico suo suggeri postularat. Ita enim hic orditur: *Efflagitasti, Inuidissime et omnium clementissime Cesar, ut uetusta illa, abstrusaque mosaica uolumina, que Talmud appellari libuit — in latinum eloquium conuerterem.* Cetera ut plurimum iisdem verbis, ut in *Editis*. Ultra hoc et alterum N. III. Specimen haud progressum putem *Ricium*, morte fortasse *Maximiliani* dimotum. Vide, et emenda ex dictis *Wolfii Bibl. Hebr. Vol. I. p. 967.* quamvis rectiora tradat *Vol. III. p. 918.*

II. *fol. 34.* sequuntur, ut Titulum ex edit. *Augustana* ejusd. anni 4. transcribo: *Ejusdem Naturalia et prophetica de Anima coeli omni attentione digna aduersus Eckium examina.* Codex a *Praefatione* incipit: *Sancta quidem rusticitas, ut hieronimus loquitur, sibi solum prodest &c.* narratque controversiam ortam *Ingolstadii* in doctorum virorum conventu coram Cardinali *Gurcensi* (addit *Codex Aceranum* Episcopum et *Sperantium* Praep. *Brixin.*) cum *Eckio Coeli Animam* tunc ore, dein in *Libro de Praedestinatione* aduersus *Nostrium*, et quidem merito, impugnante. Codex ab *Editis* non raro variat.

III. *fol. 85.* Ejusdem *Epitome* *Tractatus סנהדרין* five *Sanhedrin, de Synedriis*, qui est quar-

tus *Ordinis IV. נזיקין* five *Neskin*, id est *de Damnis*. Juncta est haec *Epitome* in edit. *Augustana* *supracit.* alteri N. I. relatae. Verum in *Codice* mutila est, et non nisi a C. XI. dicto *Helek* (הלך) incipit. Excipiunt illam: *Ex Talmudistarum Glosa* (sive *Gemara*) in *Capitulum Helek* memoratu digna *Excerpta*, quibus animadversiones suas *Ricius* e *Christianorum* sensu interferit. Haec quoque *Excerpta* in edit. memorata reperiuntur, sed ita praepostere, ut positae sint initio post *Maimonidis* *Praefationem*, dein sequatur *Tractatus Sanhedrin*, et *Tractatus Berachoth* concludat. De variatione jam dixi. Addam aliquid de *Autore*. *Paulus*, non *Ricius*, verum *Ricius*, *Ritius*, ריקיוס et, si quidem *Germanus* fuit, *Ritz* aut *Rick*, etiam *Israelita* dictus, ex doctissimis certe *Hebraeorum* fuit, qui *Christo* nomen dedere, praesertim in *Cabbalisticis*. Scripta ejus enumerant *Baylius* in *Diſt. Fabricius Bibl. med. Lat.* et praecipue *Wolfius Bibl. Hebr. Vol. I. p. 966. III. p. 915. IV. p. 951.* Ex editione quorundam ejus *Opusculorum Papiae 1510. 4.* liquet, eum annis aliquot ante ad *Sacra* nostra traductum fuisse opera *Job. Bened. Monceti* ex *Eremitis Augustinianis*, et *F. cujusdam Gometii*, nisi in alterutro nomine typi fallant. A *Matth. Langio* *Card. Gurcensi*, quem in *Praef. N. nostri II. Herum* suum vocat, in *Germaniam* seu adductum five reductum, traditumque *Maximiliano*

1421

P O L E M I C I.

1422

liano I. fuisse puto. Hujus, uti et *Ferdinandi* I. Medicum ita egit, ut in Consilium adlectus et a. 1530. a *Carolo* V. Baro renunciatus, aq̄ue *Ferdinando* Dynastia *Sprinzensteinensi* in *Austria* sup. donatus fuerit. Adjacent mihi *Epicedia in Urs. Veli* mortem impressa 1539. *Viennae* 4. quibus editor *Ad. Carolus* Caes. Secretarius sua manu adscripsit: *Magnifico et Generoso Viro Domino Paulo Ritio Baroni a Sprinzenstain, Regio Consiliario et Protophysico dignissimo.* Itaque illustris hodie Comitum *Sprinzensteiniorum* Familia docto huic Viro originem debet non per *Hieronymum*, qui Praepositus *Tridentinus* fuit, sed per *Franciscum* filium. Ut pluribus in meo ad *Hist. Typogr. Vindob. Supplemento* vernaculo.

CCCLXXI.

³⁶¹ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 30. f. inscriptus est: *Qualia a quibus Senatorum Ordinibus sint iudicanda.* Primo intuitu aegre quis coniectet, haberi hic *Summaria* priorum X. Capitum *Traſtatus de Synedriis* (מסכת סנהדרין) ex Ordine *Mischnico de Damnis* (סדר נזיקין) latine a nescio quo reddita, quorum initium: *Eorum quae in iudicium veniunt quaedam a tribus definiuntur iudicibus, ut ea quae bona concernunt mamonis* (ממונות) *a nobis dicta externa* &c. Adjecta sunt in fine: *De Talmudistica Gloſa notatione digna, five*

Sententiae et Fabulae quaedam e *Gemara* depromptae, quae sine truncatae videntur.

CCCLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 544 XV. Folior. 63. 4. fat nitide exaratus hunc Titulum praefert: *Incipit libellus contra precipuos errores grecorum editus a fratre Bartholomeo constantinopolitano ordinis fratrum predicatorum ad instanciam fratrum inter grecos commorantium.* Prooemii initium: *Licet grecorum ecclesiam virtutum floribus et phylosophie studijs olim decoratam nouerimus, ita quod ipsa sanctorum presidencium (praecedentium?) patrum apostolorum videlicet et prophetarum veloci cursu calcans vestigia, quam plures ex se viuos et ignitos lapides ad edificium superne iberusalem dudum transmiserit construendum. nunc tamen hoc est in fine temporum quod sine graui merore proferre non possumus, diuersis et quasi innumeris errorum obfuscata turbinibus in eadem suarum opinionum caligine diuisa a sacrosancta romana ecclesia et ceca perseuerat, et quamuis infinita heresum grauamina (Germina?) a 370 annis hoc est a tempore fosij seu fotini primi huius scismatis inventoris in diuersis suis partibus tam propter defectum scientie quam propter odij et inuidie amaritiam pullulauerunt, precipue tamen in 4^{or} articulis generaliter seu communiter dinoscitur deuiare a nobis &c.* Articuli hi sunt de Processione Spiritus